Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3205
Quelle:
Copyright:

DCCCCLXI.

413 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 8. 4. luculente ſcriptus et rubricis diſtinctus eſt Reſiduum cujusdam *Collectionis* e *Pontificum Decretis*, *Dictis PP.* et *Canonibus Conciliorum* factae, quae modo incipit ab *Epiſtola Clementis* I. prout legitur ordine *Quinta* T. I. *Concc. Labb.* edit. *Venet. col.* 115. *de Communi Vita.* Sed nobis ita terminatur: *Et quicumque ueſtrum communem uitam ſuſceptam habet. et nouit ſe nichil proprium habere! uideat ne pollicitationem ſuam irritam faciat. ſed hoc quod domino eſt pollicitus fideliter cuſtodiat. ne dampnationem ſed premium ſibi adquirat. quoniam ſatius eſt non uouere quam uotum prout melius poteſt non perficere.* Hinc ſuccedit *Decretum Leonis. Leo episcopus ſeruus ſeruorum dei omnibus epiſcopis. In die reſurrectionis usque in ſabbatum in albis* &c. Agit de Ordinatione *Pſalmorum* et *Lectionum* in officio eccleſiaſtico. Videtur is *Leo* VII. nam ſub finem dicitur: *Romani autem diuerſo modo agere ceperunt. maxime a tempore quo teutonicis conceſſum eſt regimen noſtre eccleſie.* Sequitur *Gelaſii* I. Decretum ex Conc. *Romano* de Lectione Librorum V. et N. T. in officio eccleſiaſtico, quod extat apud *Gratian. Diſt.* XV. ſed nobis incipit: *Gelaſius. pp. cum LXX. eruditiſſimis epiſcopis ordinauit quando et quo tempore libri ueteris et noui teſtamenti legendi ſint. In* LXX. (Septuageſima) *ponunt eptaticum* (Pentateuchum cum Joſue et Jud.) &c. Reliqua breviora ſunt Pontificum *Clementis*, *Pelagii*, *Victoris*, *Leonis*, *Teleſphori*, *Sixti*, *Innocentii*, *Siricii*, *Urbani*, *Soteris* et *Nicolai*, Patrum *Origenis*, *Gregorii*, *Auguſtini*, *Hieronymi* et *Iſidori*, Canonum *Apoſtolic.* et Conciliorum *Eliberit. Tolet. Nicaeni*, *Carthag. Afric. Magunt. Meldenſ. Rhem. Chalced. Laudun. Eduenſ.* et, quod erronee ſcriptum videtur, *Hamnentenſis*, cujus citatur *Cap.* VIII. in haec verba: *Sicut enim episcopus non plus poteſt habere quam unam ciuitatem. et uir unam uxorem. ita presbiter unam tantum eccleſiam. Itaque nullus presbiter plures preſumat habere eccleſias. ſi de ſtatu ſuo gaudere deſiderat.* Non occurrit mihi ſimilis ſententia, niſi in *Capitulis Herardi Turon.* c. 49. Vide T. X. *Concc. Labb.* edit. *Venet. col.* 63. Nullus porro in brevioribus his Decretis materiarum ordo eſt.

DCCCCLXII.

Codex chartaceus lat. germ. 549
Sec. XV. Folior. 496. 4. a Diverſis currente calamo exaratus et olim *Monaſterij Vallis omnium ſanctorum in Maurbach Ord. Carthuſien prope Wiennam in Auſtria* Varia ſequenti complectitur ſerie: I. Tractatum ἀνεπιγραφον de *Autoritate Eccleſiae* et *Conciliorum*, qui conſtat *Capp.* XXVI. prolixoque Epilogo, quo Dicta ſub uno conſpectu collocantur. *Capitis* I. Inſcriptio miniata et initium